

ab ista periclitante domo, memor sancti David, qui cum tantorum vir esset meritorum, nihilominus repentino turbatus nuntio festinavit egredi, *ne veniens* (ait) *Absalon occupet nos, et egressus pedibus suis stetit procul a domo; et si invenero* (ait) *gratiam in oculis Domini, reducet me et ostendet mihi archam et tabernaculum suum*¹⁾.

3 Interea dum adhuc primas concessę sibi predę partes festinus ignis voraret et^{a)} ulterius linguam protendens^{b)} cunctos luce maligna terreret, quidam de fratribus raptum e sacrario ferens corporale dominicum²⁾ longo hastili superne illigatum flammis obviis stetit, sperans quod tam
10 sacrę suppellectili cessurus^{c)} foret ignis omnisque potestas inimici. Cumque tali modo non cederet^{d)} ignis, ille persistens *fide non ficta*³⁾ et temeritate non improbanda ipsum hastile cum corporali mediis flammis fortiter intrusit aliquandiu agitans quasi sevientem confoderet ignem, donec usque ad ipsum prorupit flamma rebellis eumque pene afflavit. Tunc
15 demum absistens et hastile quod tenebat partim ambustum, corporale autem illesum mirum dictu et incontaminatum ignibus abstrahens quantocius absolvit et convolutum flammis quo potuit altius iniecit, optans et sperans, quod ex immissione eius Domino volente opprimeretur et deficeret quasi strangulatus ignis. At ille videlicet magnus et a Deo
20 permissus ignis miro modo corporale integrum occulta et nobis^{e)} incognita vi de medio sui reiecit et longius reppulit^{f)} in eam partem ville g), que sibi concessa non fuerat et ubi, sicut manifestum est, nichil nociturus erat. Quem non delectet tantum vidisse vel videre miraculum? Denique corporale iam dictum sic integrum et illesum relatum
25 est, ut tamen signum habeat non indecorum, videlicet lineam subrufam, cum sit ipsum, ut prius erat, totum candidum^{h)}. Hoc nimirum melius placet quam si nulla penitus incendii nota inesset, quia clarius ex hoc memoriale est et inter omnemⁱ⁾ eiusmodi sacram suppellectilem agnosci debet.

30 4 Cum itaque solutis habenis^{a)} totum (ut iam supra dictum est) castellum intus et exterius possideret incendium, me procul sedente inter intactas ab igne domos, ita tamen ut spectare possem illud triste spectaculum, scilicet undantia cacumina flammarum, stetit in editiore tecto

3 a) et *fehlt* AJM b) praetendens AJM c) censurus B d) crederet M
e) nobis *fehlt* AJM f) repulit AJM g) villae partem AJM h) caudidum M
i) omne M

4 a) habentis M

1) 2. Reg. 15, 14. 17. 25

2) S. o. S. 396 mit Anm. 22

3) 1. Tim. 1, 5